COMPLIMENT

DE

LA FACULTE' DE MEDECINE

A

MONSIEUR FAGON.

COMPLIMENT
DE
LA FACULTE' DE MEDECINE
A
MONSIEUR FAGON,
CONSEILLER ORDINAIRE DU ROY EN SES CONSEILS:
ET
SON PREMIER MEDECIN.

En luy dédiant la Théſe qui fut ſouſtenuë par M. TOURNEFORT, le 29. de Novembre M. DC. XCV.

Traduit en François par M. BOSQUILLON.

MONSIEUR,

LA FACULTE' DE MEDECINE, à qui vous avez rendu ſon ancien éclat, cherchoit depuis long-temps une occaſion de vous en témoigner publiquement ſa reconnoiſſance, & de la conſacrer, pour ainſi dire, par quelque monument illuſtre. Depuis que vous êtes parvenu à ce degré d'honneur, où, ny l'ambition, ny

ORATIUNCULA

PRÆFIXA THESIBUS

QUAS

A FACULTATE MEDICA PARISIENSI

DEDICATAS CLARISSIMO VIRO

GUIDONI CRESCENTIO FAGON

ARCHIATRORUM COMITI,

Propugnavit JOSEPHUS PITTON TOURNEFORT,
die 29. Novemb. Ann. Dom.
M. DC. XCV.

R*ESTITVTVS per te antiquo ſplendori ſuo ſaluberrimus Ordo Medicorum*, Archiatrorum Princeps clariſſime, *jampridem grati animi erga te ſui ſenſum tibi ſignificare palàm*, & *aliquo illuſtri monumento veluti conſecrare geſtiebat. Ex quo ad*

l'amour des richeſſes ne vous a élevé, mais le ſage & le juſte choix du Prince, fondé ſur vôtre attachement, ſur vôtre probité, & ſur ce rare mérite qui vous diſtinguoit ſi fort dans vôtre profeſſion : vous n'avez point ceſſé de nous combler chaque jour de nouvelles graces. Il n'a point fallu, MONSIEUR, vous les arracher par l'importunité de nos ſollicitations; Entraîné par vôtre inclination pour nous, & par un heureux panchant qui vous porte naturellement à faire du bien, vous avez prévenu nos priéres, vous avez même ſurpaſſé nos deſirs. Tout rempli, tout occupé du ſoin de conſerver cette Santé précieuſe d'où dépend la tranquillité de l'Etat, le ſalut des Peuples, l'honneur du Trône, & en quelque ſorte l'affermiſſement de la Religion, vous ne laiſſez pas, du ſein de la Cour, de tourner quelquefois les yeux vers nos Ecoles, qui furent le berceau de vôtre réputation naiſſante, & le premier Théatre où la force de vôtre génie, & vôtre érudition ſi vaſte, ſi univerſelle commencérent à paroître avec éclat. Vous regardez, MONSIEUR, comme le fruit le plus doux, que vous puiſſiez recueillir de vôtre nouvelle dignité, le plaiſir de nous être utile, en procurant l'utilité publique : car vous ne protégeriez pas ſi hautement nôtre Compagnie, ſi cette protection ne devoit tourner au bien général. Vous ne craignez point, MONSIEUR, comme il n'eſt que trop ordinaire, que ce que vous aurez fait pour nôtre avantage, ne ſoit autant de retranché de vôtre fortune, & qu'en faiſant couler ſur nous les bienfaits du Prince, ils ne ſe répandent ſur vous moins abondamment. Vous ne voulez même, pour prix d'une ſi grande faveur, qu'exciter entre

istum dignitatis gradum ascendisti, quò te non ambitio nec augendæ rei cupiditas evexit, sed nota Principi fides, probitas, & in arte medendi singularis peritia; ex illo non desiisti novis in dies nos cumulare beneficiis. Nec illa importunis sollicitantium efflagitationibus à te quasi per vim extorta sunt. Tuo in nos amore impulsus & naturali propensione benefaciendi, præcurristi preces nostras, atque etiam vota superasti. Totâ mentis attentione arrectus & invigilans tuendæ illi valetudini, unde pendet Regni tranquillitas, Populorum salus, Regiæ majestatis honos, ipsius etiam quodammodo Religionis incolumitas, convertis nonnunquam oculos ex mediâ Aulâ ad nostram Medicinæ Scholam, tuæ incunabula gloriæ, & primum quasi Theatrum, ubi se quondam tantâ cum laude exeruit tua ingenii vis, & in omni genere præclara eruditio. Putas hunc esse fructum novæ dignitatis tuæ jucundissimum, ut publicæ utilitati consulendo, nobis etiam prodesse possis: neque enim tam impensè faveres Ordini nostro, nisi id in publicum bonum cederet. Non times, ut ferè fit, ne fortunæ tuæ detrahatur, quod nostræ adjeceris, & in nos per te derivata Regis benignitas, in te ipsum minùs abundè fluat. Nullam autem à nobis tanti beneficii mercedem aliam exigis, quàm

nous une loüable émulation qui rende de jour en jour nos Ecoles plus célébres. Pour entrer dans un dessein si juste, nous faisons paroître sous vos auspices un Homme tout propre à répondre à ce que vous vous êtes promis de nous, & à remplir l'attente que le public en a conceuë. Instruit par vos préceptes, MONSIEUR, & formé de si bonne main à la connoissance des plantes l'une des plus considérables parties de la Médecine, il a déja rempli toute l'Europe du bruit de ses merveilleux talents, digne disciple d'un tel Maître. Comme il a pris aussi de nos leçons sur la pratique de cette Science, nous comptons qu'il ne fera pas peu d'honneur à nôtre Faculté. Il nous sera encore auprès de vous, MONSIEUR, un témoin irréprochable de l'aplication que nous apportons à former d'illustres Medecins, tels que vous les souhaitez, & un seur garant de l'attachement & de la vénération avec laquelle nous sommes tous en général & chacun en particulier,

MONSIEUR,

Vos tres-humbles &c.

ut novâ inter nos laboris æmulatione Schola nostra fiat in dies illustrior. En prodit in lucem tuis auspiciis ejusmodi Vir, qui & opinioni de nobis tuæ & publicæ expectationi respondeat. Tuis ille præceptis & magistrâ manu formatus ad eam partem Medicinæ, quæ potestates herbarum docet, jampridem implevit Europam famâ sui nominis, dignus tali Magistro discipulus. A nobis idem usum medendi edoctus, Scholas quoque nostras, ut speramus, non mediocriter illustrabit. Certè habebis hunc & testem privati laboris nostri ad fingendos, quales postulas, illustres Medicos; & obsidem nostræ omnium, quotquot sumus, erga te singularis observantiæ & venerationis.

EPIGRAMMA

INSCRIPTUM SCULPTÆ IMAGINI
EJUSDEM CLARISSIMI VIRI
GUIDONIS CRESCENTII FAGON
ARCHIATRORUM COMITIS.

QUEM sibi Rex legit Medicis ex omnibus unum,
Jam per vota diu publica lectus erat.
Quæ sortes! quæ fata Viro concredita! Regni
Dum venit à salvo Principe tuta salus.

SANTOLIUS Victorin.

IMITATION DES VERS LATINS.

LOUIS cachoit encor son choix,
QUE le Public tout d'une voix,
POUR Premier Medecin te nommoit par avance :
QUEL destin est commis à ta vaste science!
C'EST à Toy d'assûrer le salut de la France
EN conservant les jours du plus Puissant des Roys.

BOSQUILLON.

QUÆSTIO MEDICA,

QUODLIBETARIIS DISPUTATIONIBUS, manè discutienda, in Scholis Medicorum, die ~~Jovis primâ Decembris~~. martis 29a novembris

M. ANDREA ENGUEHARD, Doctore Medico, Professore Regio, Præside.

An ab exlege sanguinis circuitu, morbi?

I.

VITALEM esse fundum in sanguinis circuitu vox est naturæ, nunc omnium medicorum: mirum, quòd ipsam non auscultarint veteres tot præjudiciis provocati. Quàm antiqua partium consensio, tàm nota liquoris ex aliis in alias deerrantis motio: qui multùm sudant, parum mingunt; qui multùm mingunt parum dejiciunt. Ut à parte in partem itio seri hactenus cognita, sic sanguinis qui vel erumpit per nares interceptis uteri viis, vel in reliquas partes incurrit. Nec minor est à summis ad ima commeatus humorum; ii è capite fluunt in nares, oculos, aures, gulam, fauces, spinalem medullam, & sanguinem: unde si nares intumuerint & repleantur muco, is non est avertendus, ne aliô feratur magis nociturus. Desultoria tot fluxionum indoles antiquis visa est, creditus proindè mobilis quoquoversum sanguis, à quo secretione fiunt. Morborum quoque judicationes, sive foris intro, sive intro foras contingant, mutuum vasorum externorum cum internis, internorum cum externis commercium demonstrant. Quin & spirituum, sanguinisque ductus inter se communicant: sic febribus accidit tremor qui delirio solvitur: pariter convulsio quæ diarrhæâ, perirrhæâ, menstruorum fluxu desinit. Omnia igitur esse in corpore consentientia, conspirationem unam, confluxum unum; par vasorum duplex in digitos vergentium ab alis, in alas à digitis; faciendas juxta hanc seriem incisiones vasorum prisca

notavit ætas: hæc & ſuis & alienis experimentis erudita ſanguinis circuitum, proſperæ cùm æquus eſt, adverſæ cùm exlex, valetudinis authorem oſtendit.

II.

SANGUIS pretioſus eſt latex, mixtis æquabiliter partibus conſtans cruore & ſero, leni tepore perfuſus, diditu facilis, corpus rorans univerſum, nec aliter ac fluvius moletrinam ad agendum impellens. Eo movente vivit homo, non movente moritur. Suæ tamen ſanguini ſunt motus leges, quas ultrà citràque vitæ muniis officit. Certus eſſe debet liquori commenſus molis cum alveo quem decurrit, virtutis cum corpore quod ciet. Machinæ in hydraulicis expeditè moventur aquarum modo, deminutionibus torpent, auctibus obruuntur: pariter pars quæque corporis viret modico floridi ſanguinis rivo, ſub incremento gemit, aret decremento. An igitur ſit æquum vaſis & partibus circumacti ſanguinis libramen, an iniquum, non parvi refert; nec minoris quoque, an ſincerus ſit, lutoſuſve ſanguis; tot ſordet recrementis quot incerniculis nitet? hæc deſunt officio, illa ſuperſunt nocumento, ſanguinem conſpurcant, circuitui vel addunt ſtimulos præ tenuitate, vel frænos injiciunt præ lentore. Ut incitatur tardaturve ſanguinis motus peregrinis ſuccis, ſic ſiſtitur obicibus objectis, ſeu intus nati hæreant vaſis, ſeu adveniant extrinſecus illati. Iis retorquetur ſanguis in vicinas diſſitaſve partes, vel inibi moratur, aquæ deſidis inſtar vitium capit, conglaciat, putredinem, ſphacelum, ac mortem accerſit. Itaque pauciores ne credas ægrotationis quam violati circuitûs ſanguinis modos, qui ut partium quas afficiunt, diverſitate diſſimiles inter ſe ſinguli, ſic cauſarum à quibus procedunt; convenientiâ ſimiles ſæpenumerò univerſi reperiuntur.

III.

CORPUS humanum ſanguine intus agitante tot functionibus negotioſum eſt, quot partibus ſolidis inſtructum. Quod in his vitium, morbus: quod in illis, ſymptoma: quod in ſanguine, cauſa morbi nuncupatur. Ut areſcit planta ſucci defectu, fruticat immodicè, ſudatve luxuriâ; ſic ſanguinis penuriâ marceſcit corpus, fit habitius exuperantiâ, nec citra diſcrimen athleticum & varias ejus exundationes intus & extus experitur. Morborum penè omnium ſementem facit ſanguis ubi fluit lutulentus; partibus æquè nocet, crudis aut aduſtis fætus purgamentis: frigidos pigrior, calidos citior affectus parit. Nil cernere eſt in corpore tam ſtupendum, tophos, calculos, verminoſum genus, miliiformes, friabiles, arenoſos, pin-

gues, aliosve sudores, quod non ferat sanguis inquinatus. Similis cænoso flumini obices sibi ipse objicit, à suo cessat aut deflectit cursu, & partes fluxionibus tentat; prohibitus ne solemnes relegat vias ob incidentes, comprimentes, stipantes, contundentesve causas, tumores facit. Tepens sanguinis æquabiliter labentis aura seu iniquitate spatii, seu pabuli vitio, seu spiramenti obstructione, fœni madentis instar incalescit, offusam sibi caliginem tenuat in vapores & fumos quos circumfert secum haud innocenter; ignescit demùm & febrem gignit, calorem præter naturam dicas aut fermentationem; perinde est. Febris totius semper nascitur corporis pœna, raró meri sanguinis, vulgò partis alicujus scelus. Synochus rarissima, frequens continua aut intermittens; universam utraque intemperiem accersit privatæ asseclam. Utraque crisi finitur vix usquam securâ, ni alvi dejectione contingat.

IV.

MORBUS non unius quam tenet partis offensâ circunscribitur, longè latèque sævit symptomatum ut tyrannus satellitum catervâ septus, & miras corpori mutationes affert. Nunc suam exuit formam & induit novam veluti redivivus, sic fluor albus in colicum dolorem, nephritidem, aut arthritidem, furor in dysenteriam, dysenteria in stanguriam, fistulam aut abscessum, pleuritis in peripneumoniam abit; Dealcis uxoris fletus desinebat in risum, garrulitas in silentium. Nunc superstes manet, alium tamen accersit affectum quasi fœcundus, sic morbus lateralis alvi profluvium, epilepsiam melancholia, bubo febrem, febris convulsionem producit, aut sitim immodicam; Philiscus tertiâ die sitibundus evasit. Nunc fertque refertque pedem repetens locum ex quo decessit; sic erysipelas & pustulæ ex imo ad cutem enata recurrunt, sic morbus articularis in intestini dolorem, hic in illum vicissim vertitur; Larissæ Calvus doluit femore, quo quieto deliravit. Quin & alter alteri succedit solatio, sic ophthalmiæ aut surditati alvi profluvium, contumaci alvi profluvio spontanea vomitio, atrabilariis, aut phreneticis hæmorrhoides, splenicis dysenteria. Quorsum mutatæ tot affectuum vices? Sanguis per cuncta meabilis suas in morbis volvit quoquoversum sordes, singulis æquè partibus infensus, hanc illamve lædit interruptis angusto transitu viis, expeditis læsam relinquere pernix, mox alibi nociturus. His symptomatum conversionibus victa se prodit, victrixve natura, prout servantur aut violantur circuitûs leges; hoc sanguis non secus ac æstu mare suas despumat fæces, abigit in

oras corporis ac excludit, aut resorbet easdem, ac in penetralia transmittit. Sic indocta præstat natura quod opus est, & morborum dicitur medicatrix: aut solito impar muneri deest & symptomatum tyrannidi succumbit.

V.

QUISQUIS igitur aptè mederi cupit penitiùs inspiciat in corporis moletrinam: hanc commetiatur cum sanguine movente; functionum integritas justæ sit utriusque ad se invicem proportionis mensura. Hanc excedit habitus corpulentior, ad opus pigrior, vasis tumentior, statim ideo vacuatione solvendus: deficit ab eâ macilentior in dies, languidior in penso, vasis flaccidior, propterea pabulatione reficiendus. Nec minus distat ab æquilibrio corpus excrementis grave; illis quantùm spatii demitur sanguini, tantùm additur vel impetûs quô ruat in partes, vel impedimenti ne radiet in ipsas, & vitalem auram diffundat. Impurum corpus eundem ac succulentius, aut exhaustum mentitur debilitatis sensum, eandem curationem non exposcit: ut luxurianti sanguini medetur venæ sectio, sic impuritati purgatio; ex qualibet sede vitiosos exigit humores, quos in primâ stagnantes non rarò feliciter educit, vel acutorum initio, turgentes infringit, in partem aliquam illabentes revellit: nempè non ex rivulis, sed ex fonte ipso exhaurienda mali scaturigo, cui nisi sit ante prospectum, vix cæteris dein arte succurri potest. Quamobrem cum mutuo partium & sanguinis concentu floreat corporis status, ubi turbatur, explorandum est ad ejus instaurationem, unde natus sit dissensus. Ex vitiis sanguinis morbi, ex morbis ducuntur remedia, nusquam magis accommodata quàm cùm transversos corrigunt circunducti sanguinis motus.

Ergo ab exlege sanguinis circuitu, morbi.

Domini Doctores disputaturi.

M. Nicolaus Bailly.	*M. Bertinus Simon Dieuxivoye.*	*M. Claudius Guerin, rei herbariæ Professor.*
M. Joannes Duval.	*M. Joannes Boudin.*	*M. Carolus le Long.*
M. Claudius Quiquebeuf.	*M. Guido Erasmus Emmerez.*	*M. Ludovicus Morin.*

Proponebat Parisiis JOSEPHUS PITTON TOURNEFORT, Aquisextiensis è Galloprovinciâ, Baccalaureus Medicus. A.R.S.H. 1695.

Apud Franciscum Muguet, Regis & Facultatis Medicinæ Typographum.